mandatum nouum do uobis ut diligatis inuicem sicut
dilexi uos ut et uos diligatis inuicem inhoc cognoscent
omnes quia mei discipuli estis si dilectionem habueri
tis ad inuicem. Dicit ei simon petrus domine quo uadis
respondit ihs quo ego uado non potes me modo se
qui sequeris autem postea dicit ei petrus quare non
possum sequi te modo animam meam pro te ponam
respondit ihs animam tuam pro me ponis amen
amen dico tibi non cantabit gallus donec ter me
neges. Non turbetur cor uestrum credite in deum
et in me credite in domo patris mei mansiones
multae sunt si quo minus dixissem uobis quia
uado parare uobis locum et si abiero et praepara
uero uobis locum iterum uenio et accipiam uos
ad me ipsum ut ubi sum ego et uos sitis et quo ego ua
do scitis et uiam scitis. Dicit ei thomas domine nes
cimus quo uadis et quomodo possimus uiam
scire. Dicit ihs ego sum uia et ueritas et uita
nemo uenit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me
et patrem meum utique cognouissetis et amodo cognos
cetis eum et uidistis eum dicit ei philippus domine
ostende nobis patrem et sufficit nobis dicit
ei ihs tanto tempore uobis cum sum et non cogno
uistis me philippe qui uidet me uidet et patrem quo
modo tu dicis ostende nobis patrem non credis
quia ego in patre et pater in me est uerba quae

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 60, p. p.%2050 – Evangelium S. Johannis (http://www.e-codices.ch/en/csg/0060/p.%2050)